










TRACTATUS TRES

DE


LOCIS QUIBUSDAM DIFFICILIORIBUS

SCRIPTURAE SACRAE

SCILICET

DE ARBORIBUS SCIENTIAE AC VITAE.
UNDE PRIMITUS MANSUEFACTI ET EXCULTI HOMINES?
DE TURRI BABEL.

EDITIO SECUNDA.



STUTTGARTIAE.
TYPIS JOANNIS BENEDICTI METZLERI.
1849.

DE

ARBORIBUS SCIENTIAE AC VITAE

(GENESIS CAP. II. ET III.)

CONJECTURA.

In iis quae in sacris literis de arbore vitae et arbore scientiae traduntur, *nodos* vix solvendos inesse satis apparet e diversis interpretandi modis ad has libri Genesis partes adhibitis.

Narrationem eam alii totam, alii ex parte allegoricam esse docent. Si excipias interpretes singulos de sua *theoria* disserentes, inter omnes constat nullam adhuc explicationem ab omni parte perfectam allatam esse. Quae *nunc* tentatur solutio quatenus probanda sit, penes alios judicium erit. Quod conatus sum, spero saltem non vitio mihi versum iri, quia quae conjecturâ aut interpretatione nostrâ innituntur, ea aliis tanquam fidei placita accipienda ponere, minime volumus. Ad Christiani autem officium pertinet investigare quinam sit verus sensus cujusque sacrarum literarum narrationis; nec vituperandum est si meditata nostra, non tanquam dogmata, sed modeste aliis offeramus.

Si Moses hoc solummodo dixisset, parentes

primos mandato obstrictos fuisse divino, quo probaretur obedientia, eoque neglecto displicuisse Deo, hoc simpliciter fidem omnium convenientem apud nos invenire oportuisset. Quum vero de mandato illo ejusque violati effectis singularia quaedam tradiderit; nec audaciae nec culpae esse credo, ea intelligere conari quae narravit.

Imprimis igitur quae sint in hac re difficilia videndum est. In universum enim de nullâ ratione secundum difficilia in quae forsan ducat, judicandum est — omissis iis e quibus extricari possit.

I. Difficile intellectu est quomodo consentaneum sit ratione praeditos eosdemque puros penitus nudos degere. Conceditur enim gentes more viventes isto, stolidissimos esse omnium barbarorum et impurissimos, e. g. Australiae indigenas. Hinc multi interpretes nuditatem allegorice sumunt pro ignorantiâ et innocentiâ. Me judice nulla unquam interpretatio allegorica auctoris verba violentius torsit. Ei applicari potuerit proverbium „mendacio crura desunt,“ aliis scilicet explicatio eget quibus fulciatur — nam folia etenim ficulnea quoque allegorica fierent *.

* Verbi allegoriae duplex distinguendus est sensus: quo neglecto in errorem incideremus. I. Narratio aliqua *proprie* „alle-

II. Aegre intelligitur quare fructus arboris scientiae (cui nomini aliquam fuisse causam necesse est) nuditatem suam nec aliud quidquam illico protoplastos docuerit. Oculos eorum „apertos fuisse" narratur „eosque cognovisse se nudos esse." Minime tamen caeci antea profecto fuerant.

III. Multi haesitavere de intelligendâ naturae humanae corruptione primum inductâ per Adami peccata, ex supposito quoniam homo inter illa fuit, quibus factis „Deus vidit valde bona esse cuncta ea." Aliqui quidem loqui solent perinde, ac si *peccabilitas*, qua fit, ut tentationi cedere possimus et quae carni nostrae tanquam haereditate traditur,

---

gorica" dicitur si non in significatione ad literam verâ sed figurate intelligenda sit. II. In narratione ad literam verâ res memoratae allegorice referri possunt ad alia quaedam. Hoc sensu Paulus apostolus ait de historia Agarae, Isaaci etc. per allegoriam haec dicta esse, narrationem nempe pro absolute verâ assumens, affirmans autem enarrata esse ἀλληγορούμενα, i. e. allegorice significantia. Prorsus aliter Pseudo-Barnabas iste negat Deum voluisse Judaeis vetare *suillam carnem* sed *socios* tantum *immundos*. Pauli igitur exemplum minime adducendum est ad tuendam mutationem sensus sacrae scripturae ex eo qui ad literam sumitur in allegoricam. Hoc arroganter et cum periculo fieret. Rei autem cuivis significationem typicam adscribere, etiamsi ea parum recte affingatur, erroris est, si comparate aestimetur, innocui, dummodo solâ interpretatione tali non fundetur nova ulla doctrina. Alterius illius allegoriae generis exemplum ullum in sacrae scripturae libris historicis haud inveniri credo.

orta fuisset ex Adami delicto: causâ nempe ab effecto natâ: qualem absurditatem nemo sanus, credo, serio tuebitur. Haud absurdius quis diceret hominem se creavisse. Quoniam igitur antequam cecidisset Adamus proclivitatem habuit ad peccandum, tentatione oblatâ, quomodo nos quamdiu nondum ipsi propriâ actione peccantes ab eo dissimiles sumus, si re verâ dissimiles. Certe nec Adamus nec nos malum propter se et quia malum eligimus. Num igitur humanae naturae quae ab initio non impeccabilis fuit, additum sit statim post lapsum novum desiderium, ante incognitum, et quod conscientiâ neglectâ ad peccatum trahat, jure quaeratur.

IV. Doctrinae Malthusianae periti vix intelligent quomodo congruere possit cum multitudine hominum auctâ (omnibus praesertim morti non dum subjectis) status felicitatis in Paradiso. Hodie pars maxima aerumnarum, scelerum, miseriarum generi humano accidit fere ex luctâ inter numeros hominum geometricâ ratione crescentes, et victum arithmetice tantummodo auctum. Haec autem omnia quanto graviora fierent, nisi quaeque generatio praecedens generationi succedenti, spatium (quamvis non satis amplum) moriendo relinqueret?

V. Difficile aliud, quorundam saltem judicio,

occurrit ex Antediluvianorum longevitate. Hujus, cum re de qua agimus, nexum mox attingam.

Explicationibus propositis quibus res gesta allegorice sumitur, supra jam dixi textum violentissime torqueri: praeterquam quod ad eam interpretandi rationem nunquam confugere oportet, dum simplex sensus ullo modo retineri queat. Et persuasum mihi habeo, Mosen si eo consilio narrationem instruxisset, ut ab omni interpretatione allegoricâ intercluderet, melius cavere non potuisse. Omnia inter se quam optime cohaerent (utcunque intellectu difficilia sunt) quamdiu simpliciter sumuntur. Simul autem atque allegorice explicas, etiamsi alio in loco simplicem verborum significationem ablegare valeas, in alio tamen rursus obstat. »Ambo nudi erant vir et uxor ejus et non erubescebant.« Hic concedi potest pro nudis intelligere licere (sine ullâ vi magnâ) „*inscios*" „*innocentes*" vel aliud quidvis tale. Quum vero de fructu vetito comedissent, oculi eorum aperti sunt et cognoverunt se nudos esse. Multa credo me splendide et rhetorice a theologis dicta afferre posse pingentibus, (dum de his verbis disserunt) quanto pudore atque horrore perfusi illi sint culpâ suâ tunc demum perceptâ. Hoc autem quomodo cum dicto illo superiore consentiat? Si

enim nuditas haec cujus jam pudebat culpa fuerit; qualis fuit illa antea narrata quae illis, nondum peccato foedatis, affuerat et cujus non pudebat eos? An nuditas eorum fuit ignorantia quam antea in sese ignoraverant? Interrogetur Moses, ac disces eos „folia ficulnea" consuendo „perizomata sibi fecisse;" et quod postea „Dominus Deus vestes eis fecit e pellibus." At quid, quaeso, rei foliis ficulneis esse potuit cum peccato vel cum ignorantiâ? Bataeus igitur fingere coactus est, folia ea non tanquam vestes assumpta fuisse, sed quasi *cilicia* quaedam naturalia ad poenitentiam gestanda. Quidvis sic e quovis elaborari possit. Porro autem multa composite declamata legi de parentibus nostris sese Domini praesentiam celantibus, quod fecisse dicuntur ob solum delicti pudorem. Hic vero rursus obstat verbum illud quo offenduntur interpretes qui allegorias quocunque modo invenire statuerunt. „Celavi memet quod nudus eram;" atque quaeri possit, si nudus pro sonte intelligatur, quomodo ante delictum, nudus esse potuerit, qualis fuisse traditur. Illud vero omittam: concedatur eum pudore solummodo ob peccatum affectum fuisse. Haec profecto animi affectio est minime culpanda: quantamcunque aliquis merito in reprehensionem incurrit, quia pec-

caverit, vix juste increpetur eo quod peccati *conscius* fuit. Adamus autem reprehenditur, non quia *nudus* sed quia nuditatis *conscius* fuit. Non scriptum est „quare nudus es factus“ sed „quis tibi indicavit quod nudus esses.“

Etsi forsitan nil penitus probandum afferre potuerim, caeteros saltem aequavero: et hoc praeterea lucratus ero, quod quum nec interpretatio ad literam nec allegorica satis placeat, *illa* et tutior et modestior sit. Ut initium sumam ab arbore vitae: multi assumere videntur quasi plene concessum, Adamo ut creato inhaesisse principium immortalitatis, naturam autem ejus quum cecidisset quoad hoc mutatam esse, in poenam delicti. At vero non solum nulla talis mutatio corporis constitutionis innuitur, sed perspicue significatur immortalitatem ejus cum usu arboris vitae conjunctam fuisse. Ideo nempe „ne manum porrigat sumatque de arbore vitae comedatque et vivat in aeternum —“ „e paradiso expulsus est.“

Quidam docuere arborem vitae et arborem scientiae vim *sacramentalem* habuisse. Illi quid velint, confiteor me parum intelligere. Si ipso actu edendi fructus istos, effectus quidam orti essent ob virtutes, quibus a Creatore praediti erant, nulla ra-

satis apta erat ad alliciendum: neque aliquid contra apparet, praeter quorundam opinionem meram fructum huncce semel tantum gustatum immortalitatem donare. Illa altera saltem propositio haud minus teneri potest. Adamum igitur invenimus plura saecula vixisse, posterosque ejus per aliquot generationes longaevos fuisse; donec post diluvium spatium vitae paulatim decrevit et sensim ad *nostram* mensuram diminutum est. Hoc paulatim factum esse, saepe parum animadvertunt qui de diuturnitate vitae Antediluvianorum loquuntur. Multi autem eorum qui post diluvium vixere, etsi majoribus suis longe cedant, aevum assecuti narrantur nostro multum productius: ideoque probabile est talem fuisse tunc hominum aetatem solitam. Jacobus quum senium attigisset, quantum apud nos mirandum foret, dies suos paucos fuisse queritur; nec immerito si cum patrum ejus aetate conferruntur. Annos CXXX vixerat quum coram Pharaone staret; quo tempore percepisse videtur se non diu duraturum esse; aliter enim non locutus fuisset de paucitate dierum suorum: post XVII annos in Aegypto actos, annos CXLVII natus mortuus est. Isaacus annos CLXXX vixit, Abrahamus vero CLXXV. Longaevitas autem ea diu post Jacobum non obsoleverat:

Moses enim LXXX annos natus ad Pharaonem missus est, et annos natus CXX obiit. Objici potest eum ex miraculo praeditum fuisse viribus ac vitae diuturnitate, legationis suae causâ. An vero coeperat miraculum hocce ante quam vocatus esset? Excusare quaerebat tarditatem suam loquendi, minime autem senectutis infirmitatem, qualem octogenarii plerique hodie allegarent. Si vero aliquid fuisset miraculi in eo quod infirmitatis expers erat, hoc profecto una cum virgae prodigio oblatum fuisset ei in testimonium auxilii coelestis. Colligo igitur, Mosis temporibus minime inusitatum fuisse hominibus LXXX annos contingere sine ullo virium defectu, ideoque circa C annos duravisse *.

Hactenus de arbore vitae. Nunc tractetur alius

---

* Explicare nequeo, cur tam curta sit hodie vita humana, si comparetur cum spatio in adolescendo acto — quarta nempe parte circiter totius — sive XX annis ex LXXX. Nullum aliud animal credo exhibere proportionem huic propinquam. Aliqui causam aiunt esse vitae rationem a natura discrepantem quam degunt homines. Num vero omnes contra rationem vivunt? Satis est diversitatis in victu et moribus hominum. Si omnes igitur modi sint a natura discordes et insalubres, quinam quaeso vivendi modus sanus et rectus foret? Equi quidem omnes fere praemature senescunt ob labores (sive nimios sive moderatos) nondum adultis impositos. Simul autem atque effoeti operum fructuosorum facti sunt plerumque occiduntur raroque ita ad plenum vitae spatium servantur.

nodus, haerens in principio quo hominum progenies permanenti successione continuatur. Appetitio ea quae ad generis humani incrementa ducit, quum minime cohibetur intra fines spatii aut victûs novae stirpi parati, numeros hominum crescentes statu rerum usitato ita ingruere facit in facultates eos alendi ut oriatur, si optime res se habeant, coarctatio, labor durus, et privatio boni, si pejores sint, egestas, aerumnae et aliquoties scelera. Tot colit herbas olitor, tot pecudes agricola, quot permittunt praedii amplitudo atque ubertas, ideoque nunquam nimiis incrementis angitur. Ad liberos autem procreandos non *tam bene* subductâ ratione ducimur: aut igitur impetum naturalem reprimere, aut ei morem gerendo labores et incommoda inde orta tolerare cogimur. Neutrum horum statui paradisiaco consentaneum videtur; quum praesertim, quecunque sint principii sobolis augendae consequentia, ea immortalitate hominum augerentur. Multi scriptores tam clare ostenderunt praesentem rerum statum ad hominum probationem aptum esse, ut simul demonstraverint eum minime cum statu felicitatis congruere, etiamsi ponatur aerumnas eas non graviores fieri absentiâ mortis, quum revera sic increscerent: absentia autem mortis omnia jam notata incommoda

quam maxime intenderet, Dominus igitur noster in Evangelicis libris loquens indicare videtur matrimonium quale nunc habetur cum *immortalitate* vix congruere: „Illi vero qui digni habebuntur saeculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent neque ducent uxores *neque enim ultra mori poterunt*“ etc. Nonne igitur statui paradisiaco immortalique aptius videtur quovis alio modo mundo incolas suppeditari, quam per affectûs caeci impulsum, qui officio functus suo decrescere haud omnino solet, sed ad numeros hominum eo magis augendos tendit quo magis jam aucti fuerint: quem demum cohibere difficile est, cui fraena dare regione jam habitantibus plenâ cultorum imprudentiae foret? Si quis objiciat (et hoc solum argumentum, quamquam scrutando dissolvitur, obstitisse credo quo minus omnes amplectantur sententiam eam quam propugno) quomodo hoc fieri posset? (Sicut alii quoque olim quaesiverunt — 1. Cor. XV — quo demum modo resurgunt mortui, et quo corpore?) Nonne destinati sunt Adamus et Eva ut parentes fierent generis humani? Et ad id creati „masculum et feminam?“ *

---

* Urgent quidam Calvinismi supralapsariani ad dogmata sua firmanda, si structurâ organicâ praeditos fuisse assumamus pa-

Respondeo »Num abbreviata est manus Domini.« Nobisne concessum est omnes potentiae Dei opes numerare? Et vel praejudicare quomodo propositum quodvis Deus perficere debeat, vel prorsus negare id fieri posse? Quis a priori conjicere potuit Evam e costâ Adami confictum iri? Iste modus aut mille alii nobis nunquam animo concepti, adhiberi potuissent ab optimo maximo Creatore ad hominum incrementa! At enim Adamus et Eva mas et femina fuere! Idem de palmis arboribus verum est, caeterisque plantis diaeciis. Non quo Deus non potuerit palmas sicut ulmos per surculos propagare, aut more liliorum per bulbos; sed quia varietate quasi manifestare studuit portionem quantulamcunque viarum infinite diversarum quibus

---

rentes primos qualis tunc solum usum praestare posset quum peccaverint; sic, aiunt, Deus voluisset ut delinquerent. Certe sensu quodam necesse est ut quicquid fiat cum voluntate Divinâ consentaneum sit. At de praedestinatione divinâ ratiocinari temerarium est. Dicere liceret Deum decrevisse ut grana singula tritici germinent, fabricâ nempe cujusque ad id aptatâ, quamquam revera myriades innumerae granorum talium ad panem faciendum molâ teruntur. Notabile est structuras quasdam organicas sine ulla omnino utilitate saepe inveniri. Canum feliumque ungues illae pendentes quasi pollices abortivi videntur immobiles et (quantum apparet) inutiles. Didelphys etiam mas, et caeterorum marsupialium, ossibus iis praeditus est quae in feminâ ejusdem generis annectendis marsupii musculis proprie inserviunt.

potentia ejus incidere possit. Quum in casu allato opus sit conjuncte agere duo ejusdem speciei diverse constituta, hic tamen ut patet sine affectu sexûs. —

Saepe quidem dictum est, si abforet iste affectus aut multum debilior fieret, nil aliud pro eo sufficere posse ad mundum incolarum successione supplendum. Aliter sentio. Verum est quidem, paucos sine hoc appetitu se oblaturos esse duris laboribus et inopiae, quibus saepe obnoxius fit paterfamilias. Talis vero status quem posui, ille est ipse, labore et egestate magnâ saltem liber. Quibus vero fortuna favet et res prosperae sunt, hi fere sobolis appetentes sunt, et saepe vehementer queruntur si inter caetera connubii dulcia desint liberi. Non appetitu sexûs mota sterilitatem suam luxit Hannah: multo minus Sarah, Rachel et Leah, quum ancillas suas maritis tradiderunt. Gubernatores etiam rerum publicarum adeo doluere, regionibus feracibus subditis quoties habitatores defuere, ut nulla non ratione colonias eo ducerent aut aliter terras suas incolis occuparent.

Hactenus dixi de eo quod Deus fecisse potuisset, nisi peccassent parentes primi, ex hypothesi appetitum sexûs ante casum non extitisse. Quum

saepe quaeratur, quid Deus fecisset vel quid facere destinavisset, hoc casu dato, inconsulte, ne dicam vitiose, quaeritur. Qui res praevidet futuras, ille nihil conditione positâ consulere, nil duplici ratione propositum habere potest. Milites ad tumultum comprimendum mittuntur, sin populos comperiunt pacatos ad castra redire jubentur. Si praevidere potuissent magistratus *utrum* eventurum foret, consilia sua alterutri tantum casui aptavissent. Si quaeras, ergo quid consuluerit Deus faciendum, nisi peccavissent parentes primi, respondeo, eum nihil prorsus consuluisse; quum praeviderit eos peccaturos. Eventus iste non ita necessarius erat, ut intelligatur eos vi aliquâ compulsos esse; nec ita ut concludatur Deo nullam restitisse rationem aut eum consilii inopem futurum fuisse, quomodo agendum judicasset, nisi peccavissent. Ille qui omnia futura certe praevidet, consilia sua simpliciter dirigit ad ea sola quae eventura esse cognoscit, nec alio distrahitur. Quodsi ponatur appetitum sexûs ante casum non fuisse, et fructui arboris scientiae proprietatem fuisse physicam inserendi educendique affectum huncce (proprietatem nempe vix magis mirandam iis quas pharmacis quam plurimis inesse satis notum est) sic intelligi potest narratio tota in sensu ver-

borum simplici et sine ulla hypothesi latentis allegoriae *.

Nudos esse, et idcirco non erubescere, mihi videtur necessario indicare alterutrum, aut pravitatem turpissimam brutisque simillimam aut affectûs sexualis absentiam. *Huic* causae assignat hypothesis mea. Si parentes primi quum tales fuerint, vires fructûs vetiti sensissent (quales eas conjeci) quam subito oculi eorum aperti fuissent, ut nuditatem suam perciperent, quam eo magis abominati essent, quod sensus ejusmodi omnes prorsus novi fuissent. — Notabile est Miltonem tale quid depingere tanquam fructu vetito effectum (Paradisi amissi

---

* Notatu dignum est quod fieri perceperunt, ut videtur, Huberus aliique rerum naturalium indagatores, apes opifices femineas esse sexu, sed steriles; quaevis tamen si larva cibo proprio (cui nomen dedit Huberus „gelatum regium") vescatur, fit regina i. e. femina fecunda. Patet quidem modum operandi etiam in medicinis usitatissimis ut plurimum prorsus celatum esse. Sed notatu dignum videtur quod in foetu pulmones, quamquam perfecte confecti, tamen flaccidi manent inertesque et sanguinis eum tantum habentes ambitum qui vitae sustentandae sufficiat, donec aer ut stimulus sanguinem irruere facit in cellulas innumeras, pulmonumque actionem ad obitum usque duraturam excitat. Quodsi assumatur causam appetitus sexûs in cerebello vel aliâ quâvis corporis parte insitam esse; ea pars intelligi potest quomodo penitus absoluta esse possit, at iners, — sicut foetûs pulmones, donec proprio stimulo ad actionem perpetuam excitetur. Id solum suggerere mens potest, concipi animo posse, evolutionem novam pro novâ constructione suffici eique aequipollere.

Lib. IX prope finem). Quum vero augeri tantummodo faciat affectum antea notum, quod ille profert, minime difficultatem ullam explicat.

Porro quam congruenter, literali explicatione ut supra assumptâ, nominatur arbor scientiae, „*boni malique*“ cognitionis arbor; gustus ejus exitiosus miseris peccantibus sensum omnino novum patefecit, quasi aperti fuissent caeci oculi: unde hauserunt *bonum* gaudii praesentis, antea mente nec conceptum, nec concipiendum; *malum*que agminis calamitatum deinceps futurarum. Arboris tamen appellatione, solerter abusus est tentator iste astutus ad eos alliciendos: „nequaquam morte moriemini, sicut Dei eritis scientes bonum et malum.“ Quasi dixisset: scientiae non est deprimere sed potius attollere eum qui eâ potitur; non detrudere ut ex immortali mortalis fiat, sed contra evehere in gradum altiorem. Talia pater ipse mendaciorum. Hi autem dolore docti, experti sunt hanc scientiam ipsos non in altius extulisse, sed demersisse in mortalium numerum, mortique addixisse, non tantum velut poenae ex arbitrio assignatae, sed tanquam effectui consentaneo, quum sic parum idonei facti sint ut immortalitate fruantur. Simul atque ex esu arboris scientiae inditus fuit appetitus urgens ad hominum numeros augendos, nullâ ratione habitâ a

victûs quo alerentur, indigni facti sunt qui diutius arbore vivificâ vescerentur. Folia porro ficulnea, — reprehensio Adami ob cognitam sibi nuditatem, — tunicaeque pelliceae, — omnia simpliciter intelligi possunt. Maledictio quoque illa clarior fit, aptiorque „in dolore paries filios,“ quae effectus est physicus peccati ad mulierem pertinens; nec minus forsan ad virum attinet illud „in sudore vultûs tui vescêris pane:“ Posteris saltem ita fit. Pauca enim millia hominum vivere possunt, laetis quibusdam regionibus, duri laboris expertes, et fructibus sponte natis vescentes, dummodo tuti sint ab immodicis numerorum augmentis. Labor improbus autem solus multitudini crescenti victum praestare potest. —

Si haec accipiatur interpretandi ratio, sequitur nos Adamo dissimiles natos esse, non eo quod ad cedendum tentationi obnoxii simus, debilioresque quam qui propriis viribus sustentemur; (talis enim erat Adamus, quum aliter non cecidisset) nec rursus eo quod malum ipsius causâ amamus (tales enim non sumus) sed eo quod tentationi alii nos obnoxii sumus praeter eas quas ille primo expertus est; quae quoque longe maximae parti scelerum aerumnarumque inter homines ortum dedit; sive statim ex eâ nascantur sive sero sequuntur.

UNDE PRIMITUS MANSUEFACTI ET EXCULTI HOMINES?

In libro Genesis narratur Deum cum Adamo et Evâ, cum eorum quoque filiis *ipsum* locutum esse „facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.“ Non diserte quidem dictum est, eos artes vitae inservientes tali consortione discendo cognovisse, nisi huc referas „tunicas pelliceas“ (Gen. 3, 21) et, quantum appareat, loquendi facultatem. Attamen agrorum culturam pecorumque pastionem atque eas cum laboris ut aiunt „distributione statutâ“ inter fratres Cainum et Abelem dispertitas, tales artes plerique moribus tam excultis tribuerint, ut vix videantur primaevis illis temporibus nullo docente, sed meris ingenii humani viribus, inventae fuisse. —

Vide „Lectiones de Oeconomiâ politicâ.“ Auctore Archiepiscopo Whateleio. Ed. 1847, Lect. V, *passim*. Adversatur hoc autem opinioni a plerisque scriptoribus ut videtur assumptae nempe, genus humanum primo, in statu barbariei fuisse, deinde

paulatim, saeculorum processu, progressum a venatione et piscatu ad pecora pascenda, tandem ad agri culturam pervenisse. Alius quidem, ut putatur, quum arcum sagittasque aut jacula caeteris solertius effingere didicisset, hinc percepit tam sibi et sociis commodius esse his fabricandis se totum dedere, telisque istis mutare victum atque aliorum labore partum, nec suam venando operam impendere; alterum pari ratione casis tantum cymbisve conficiendis omnes curas insumere; tertium forsan pellibus in vestitum parandis caeterisque ejusmodi negotiis. Quum vero labores sic distribui coepti essent, talis divisionis commoda tam clare apparuisse, ut ea cito longius proferrentur, inde singulos nova invenisse iis artibus quas prae caeteris colerent. Quicunque animalium quorumvis habitationes usitatas indolemque peculiarem explorassent quaestumque sibi cepissent ea in usum publicum suppeditando, hos domitare studuisse genera huic usui apta, ut victûs copia esset, quoties venatio parum ministraret. Qui animum praecipue advertissent ad intelligendum, quibus maxime locis crescerent fructus agrestes aliaeque telluris stirpes ad vescendum quaesitae, et quibus temporibus maturescerent, hos utile esse reputvisse ut locis aptis ea colendo copiam promptiorem ha-

berent. Sic igitur gentem totam ita dispertitam, ut hi coloni, illi pastores, alii denique variorum operum artifices fierent, progressam esse tardius celeriusve, certius aut incertius, ad morum cultum humaniorem.

Quaeramus igitur, omissâ historiae sacrae fide, potueritne hoc fieri. Omnes historias quum antiquas tum recentiores evolvendo, percipimus nullam unquam barbaram gentem ad mores cultiores progressam esse videri, sine auxilio aliorum jam cultorum. Hic nulla abest probatio, qualem quidem accipere possit rei negatio. Etenim multos casus comperimus quibus mutatio talis non sit facta; nullum autem quo facta sit, verisimillimumque est tales casus, si modo evenissent, memoriae traditos esse. De hac re citantur quae sequuntur e libro eleganti utilique cui titulos „Incolarum Novae Zelandiae historia et mores“ in „Bibliotheca cognitionis jucundae.“ Nostro proposito aptiora sunt verba scriptoris hujus, minime rem tractantis religionis probandae causâ, quum nec omnino percipere videatur argumentum, quod jam demonstrabitur, edictis suis inferri posse. — Quae scripsit de hac re sunt hujusmodi. „Barbarorum nota praecipua, quâ etiam prae aliis barbaries in populis haeret, est literarum

ignorantia. Ea gens paulo distinguitur a grege brutorum, si respicis augmenta scientiae, aut, id quod eodem redit, profectum qualemcunque. Scribendo enim solummodo cognitio quae ex altius generationis experientiâ sit parta, in aliarum usus tuto reponi potest. Apud barbaros hanc optimam memoriae servandae rationem nescientes, tantum abest ut crescere videatur scientiae summa, ut potius sensim in dies imminui eam necesse sit. Si excipis artes ad vitam quotidianam prorsus necessarias ideoque nunquam obliviscendas, aetas hodie florens raro aliquid de praeteritis retinere videtur. Hinc ut in gente quisque natu est major, eo sapientor habetur, ideo tantum quod diutius vixit; quum percipiatur vix ullum plus scire posse quam sua ipsum experientia docuerit. Hinc, e. g. Novae Zelandiae incolas non rudiores invenisse videtur Tasmanus A. D. MDCXLII, quam Cookius quum navem post CXXVII annos eodem appulisset.“

Hujus, quod jam indicavi, multas ob causas latuit veritas: quarum praecipua esse videtur incertus verbi „barbariei“ usus. Minime equidem nego plane fieri posse, ut limitem designemus quo accurate distinguatur, rectene singulae gentes sic appellentur; quum gradus sint vix a se secernendi inter

cultissimos hominum rudissimosque. Nec limitem tam certum res postulat. Sufficit si concedatur (quod tamen longe a vero aberrare videtur) quicunque in eum barbariei gradum demersi sint, in quo gentes quasdam deprehendimus, eos nunquam suis tantum viribus emergere posse. —

Multos tamen decepit forsan loquendi mos Graecis Romanisque consuetus, qui totum genus humanum seipsis exceptis barbaros nuncupabant. Caeterae quidem gentes pleraeque (forsan etiam omnes) illis cultu inferiores erant. Multae autem e gentibus antiquis barbaris, nec illae excultissimae longe erant remotae ab ea immanitate quae a nobis barbaries nominatur et qualis hodie in populis non paucis inventa est. E. g. Germani antiqui super talium mores non minus evecti fuisse videntur, quam hodierni super illos. Natio enim quae frumenta serebat (etsi rudiore forsan agri culturâ) quae quum plurima armenta pascebat, tum jumentis ad labores utebatur, atque equitatum ad bellandum exercebat, quae etiam metalla subigere callebat (quamquam horum copiâ Tacito teste angustâ utebantur), ea demum natio parum recte notatur tanquam barbara atque fera et immanis. — Vel si sic appellentur (non enim de vocabulo disputabo), tali sensu faterer

posse fieri ut homines progrediantur immo progressos esse suis tantum viribus, nullo adjuvante, a barbaris moribus ad urbaniores.

Praeterea periculum est, ne in errorem ducant descriptiones parum accuratae regionum longe extensarum a gentibusque variis inter se morum cultu multum diversis, habitatarum.

E. g. Quidam loqui solent de populo universo Britannorum antiquorum parum attendentes ad id, quod verisimile est alias ex illorum tribubus humanitate vix minus cessisse aliis, quam „*Nebularum Soboles*,“ ab inclyto scriptore Gualtero Scotto in narratione de Montrosio (Anglice: *the legend of Montrose*) depicta, ab Edinburghi incolis aetatis ejusdem distare. Consentaneum est quoque peregrinantes aliquando nationem aliquam tanquam prorsus barbaram exhibuisse, quum partem quandam ejus tantummodo vidissent, aut forsan aliam gentem in eàdem regione habitantem. Quum his aliisque errorum causis sat tribuerimus, nulla credo manebit ratio existimandi ullos casus ex regulis jam positis excipiendos esse, homines suis viribus sine aliorum auxilio cultiorum emergere non posse e statu prorsus inculto, et igitur barbaros tales (concesso hoc, gentem humanam ex unico pare masculo et feminà

ortam esse) a proavis minus rudibus satos esse, a quorum moribus degeneraverint. —

De causis, quibus effectum sit, ut generis humani partes quaelibet sic in pejus a majorum institutis declinaverint, conjecturâ tantum aliquid assequi possumus. Vix autem dubitandum est, quin causa praecipua bellum fuerit. Populus incursibus hostium et populationibus perpetuo vexatus, magisque adeo si e patriâ ejectus et coactus erat in montibus *sylvisque* (unde nomen »silvestris,« *„silvestres homines“* Hor. Ep. ad Pis. v. 391) ad praesidium sibi quaerendum salutis, vel (quod olim usitatum fuisse scimus) ad errandum in plagam aliquam longinquam desertamque, necesse est ut morum cultu et humanitate decidat inter tot certamina et tot aerumnas vitae ipsius sustinendae causâ toleratas. Fieri non potuit quin mentes ab aliis curis distinerentur; quin et artibus multis exercendis et materies et occasiones de essent, periretque memoriâ tandem omnis earum peritia, posterique eorum aetate succedente aetati minus minusque semper discerent, magisque in dies fierent vitâ brutorum simili contenti.

Quibuscunque tamen causis quaeque natio fuerit in barbariem depravata, hoc saltem pro comperto

haberi possit, (etiamsi gente quâvis non infra gradum quendam demersâ spes sit fore, ut occasione oblatâ opportunâ resurgat et paulatim etiam ad altiora ascendat quam unde deciderit,) statum posse tamen tam sordidum et tam depressum esse, ut ex eo emergere non liceat, nisi auxilietur populi alicujus humanioris commeatus. Animorum impetus illi vehementes et effrenati, desidia, ac praecipue mens ista futuri improvida, quae omnia fere barbariem comitantur, progressioni illi ad mores cultiores quam in exordio sermonis hujus adumbravimus, adversantur; adeoque experientiâ teste talem suâpte naturâ progressionem semper penitus repressisse videntur, dum tamen excipiatur, si quando barbari humaniorum exemplis excitentur, ductuque et monitis erigantur virorum sibi praestantium.

Constat igitur homines nec suis viribus mores coluisse, nec id omnino potuisse. Huic conclusioni repugnari non potest nisi assumendo plures esse hominum stirpes origine diversas ac praeterea stirpes eas tam longe ingenii viribus inter se distare, ut genere nobiliore nati possint ad humanitatem se erudire, qui vero humiliore orti sint discendi tantum mores ab illis capaces putentur. *Pro hac hypothesi solum propugnat, quod*

demonstrari non potest rem sic se habere omnino non posse. Vero tam absimilis est ut probatione firmissimâ egeat quâ nitatur. Quum vero nulla adsunt argumenta, tum contra apparent omnes rationes quas ad rem negandam adducere licet. Cogitet enim aliquis quam immensum inter se disjuncta haec duo genera ponenda sint; majus esse id intervallum quam reverâ inveniri possit inter duo quaevis animalium genera, ex quorum conjunctione mutuâ soboles procreari solet, quod inter omnia hominum genera consuetum est. Vir clarissimus Pritchardus M. D. „De generis humani varietatibus“ defendit nullum esse locum ponendi plus unicâ existere hominum stirpe. Concesso autem hoc infirmari posse vim defensionis ejus, tamen adhuc remanebit anticipatio fortissima non posse existere duo genera hominum tam longe distantia ut alterum merâ vi insitâ ascendere valeat in altissimum humanitatis fastigium, alterum vero, dum sibi relictum sit, in perpetuum barbariem servet. Ad hoc nulla exstant stirpis istius nobilioris monumenta quam finxere, cujus tamen memoria unice mansura existimaretur. At fama omnis nationum conspirans retulit humanitatis primordia ad tales ut Cadmum, Prometheum apud Graecos, Manco Capac apud

Peruvianos, caeterosque ejusmodi beneficiorum auctores, qui certo tempore mores cultiores in singulas regiones intulerunt.

Nationes jam barbaras a majoribus minus incultis satas esse et qualibus deinceps gradibus degeneres factae sint, documentis ostendi vix ex rei ipsius conditione expectandum foret. Plurima autem indicia rem ita se habere saepe apud barbaras gentes inveniri possunt. Inter aliquas quidem fama tradita est ejusmodi. Pleraeque etiam arte fruuntur unâ quâdam aut alterâ minime cum reliquâ immanitate congruente; quae quidem artificia residua esse satis constat ex statu longe diverso, quum talia sint, qualia ut primo inveniantur, ingenii acumen postulant antecellens, intelligentiae vim eam quâ jam pollent barbari qui eas artes etiamnunc retinuere. Haec pensantibus nobis pergratum est evolvere quae uberrime scripta possidemus de variis barbarorum gentibus. Ea dum perscrutamur, natio quaeque fera servasse videtur artes eas quae apprime sint necessariae ad vitam in quacunque regione degerint tuendam. Hinc sub coelis fere algentioribus quibusque aliquanto minus, si comparantur multa, degeneravere incolae, quum frigus prohibeat extremam de futuris incuriam. Nam

negligentia ea de veste parandâ domibusque aedificandis victûsque suppetiis reponendis, quae in agris calentibus fertilibusque vitam incultissimam non prorsus prohiberet, eadem in plagis immitioribus totam gentem unicâ hieme exitio traderet: *Constat igitur barbaros a superiore solummodo mansuefieri posse.*

Primae ergo hominum aetati revelatione supernâ opus erat; quae conclusio cum sacrae scripturae auctoritate convenit. Quousque homines docuerit ista revelatio, et quousque homini ut inquirat permissum sit, nec accepimus nec scire multum refert: cultu enim aliquatenus impertito, inde ad caetera progredi licet hominibus. Hoc quoque in errorem ducit plerosque de hac re quaerentes: quoniam nullam non artem invenire potuit mens humana (concesso hoc eam alias aliquatenus didicisse), hinc temere illatum est universas inveniri potuisse. (Hic obiter animadverti potest insigne discrimen inter vitae urbanioris artes et inventa atque vera ea quae Christiana patefecit revelatio. Haec vera talia sunt, qualibus inveniendis nullâ cognitione, nullâ ingenii culturâ ipsi homines suffecissent. Ad ea attingenda non minus ineptae sunt nudae mentis humanae vires barbarorum qui regiones incultas Americae aut Australiae pervagentur, quam forent

physicorum apud nos peritissimorum suspiciones. Horum ergo verorum cognitio revelatione divinâ solâ obtinenda est, quum ad ea detegenda nulla lux nativa et hominibus innata valeat. Nullam autem ex artibus vitae proxime inservientibus non assequi possent homines, dum aliis pluribus jam instructi essent. Aliquas tantum — nec multum refert quas — opus est humano generi docendo traditas esse. Barbarie sic rejectâ homo ipse ad caetera progrederetur.

Si quibus displiceant consectaria ex his rationibus pendentia, hi obsistere conabuntur *argumentis* e quibus veri est simillimum barbaros neutiquam ultro se mansuefacere. Quomodocunque autem se illinc expedient id *nunquam omnino adhuc factum esse*. Ratio quidem est cogitata nunquam profectum talem fieri posse; et cogitationi cuilibet aliquid semper opponi potest sive recte sive secus. At facta flecti nequeunt; neque casus quidem unus firmâ auctoritate innixus citari potest ad testandum ullos omnino barbaros unquam sine meliorum adjumentis e barbarie emersisse. *Haec non cogitatio atque opinio est sed rei factae asseveratio nondum refutata.*

Si vero talis sit humanae societatis constitu-

tio, quaeritur quando vel quomodo ortus sit morum cultus. Si homo jam primum creatus, suarum tantum et corporis et intellectûs virium usui brutorum instar permissus fuisset (quibus nempe viribus aeque instructi sunt Europae et Australiae incolae), unde evenit, quaeso, ut Europaei non sint hodie Australiensium similes? Nam sicut Australiae et solo et coelo ad Cereris usum benignissimis nulla tamen frumenta saeculis durantibus ibi succrevissent, nisi aliunde allata ad inserendum fuissent: haud aliter non est dubitandum barbarum ipsum (etsi soli instar) semina humanitatis jacta colere posse; tamen prorsus ineptus deprehendi ad eam ex se ipso sponte edendam, et nisi semina illa alicunde advehantur, in perpetuâ sterilique barbarie haerere.

Unde igitur principia haec morum cultiorum pristinis hominibus suppetebant? Rebus sicut jam se habent ordinatis, ab homine aliquo jam cultiore prima cultûs initia barbaris afferri necesse est. Jam vero oriente genere humano nullus existebat homo, a quo hoc efficeretur. Ergo altiori cuidam naturae opus tribuendum est. Revelationem divinam demum sive primae sive alii cuidam hominum aetati impertitam esse oportebat. Miraculi vero hujus pro-

batio — etenim miraculum est, quum fieri nequit secundum rerum ordinem jam existentem — *ex rei testimonio adsciscitur homines jam morum humanitate excultos terras frequentare: et haec probatio non innititur sacrae scripturae auctoritate ideoque historiam ibi traditam confirmat.*

Rem sic statuentibus nobis supervacaneum est multis disserere, quam utilis, quam gravis, quam ipsa ut data non fuerit, magnâ tamen cum veri similitudine speranda sit revelatio. Data fuisse re verâ probatur monumento ejus jam ante oculos existente. Doctrinâ divinitus traditâ opus esse, ostenditur non solum ad finem assequendum qui nobis cupiendus videtur, consentaneusque sapientiae numinis vel benignitati, sed ad finem quem constat numen assecutum esse. —

Hominem non potuisse se creare citatur ad confirmandum quod Divino satore opus fuerit: pari prorsus ratione ostenditur Deum homines docuisse quia non penes homines erat culturae primordia sibi parare. Talia sunt testimonia nobis res humanas attente considerantibus oblata, dummodo non studio praefestinante ordiemur appellando ad sacrae scripturae auctoritatem de rebus quibus inquirendis

judices ipsi sumus satis idonei. Consortio igitur cognitionis cum Creatore ipso jam a primâ origine concesso; et custodiâ animalium mansuetorum agrique colendi curâ illis ab ipso permissâ in vitae conditione opportuniore ad vires intellectûs eliciendas, quam viribus tantum insitis exercendis consequi licuisset, veri simile est eos deinceps suis facultatibus permissos esse ad inveniendas excolendasque artes vitae utiles. Si ad *caeterarum revelationis partium analogiam* judicetur, consiliis Providentiae Divinae convenire videtur eam homini extra naturae ordinem impertiri cognitionem eamque solam quam haud aliter apprehendere potuisset; quicquid autem adhibitis viribus innatis invenisse potuit (utut magni sit momenti illud intelligere), impositum esse ut id proprio marte exquireret, non ullum demum potestatis divinae auxilium praeter naturam amplius accessisse, nisi necessitate prorsus jubente. Sin rursus *annalibus hominum* observandis judicemus, notum est non divinitus traditam esse artium vitae inservientium universarum peritiam. Prima hominum stirps locata esse videtur in eo statu in quo et facultas et incitamenta adessent ut ii inciperent et assidue pergerent ad meliora ascendere.

Hominem autem conditionem eatenus provec-

tam sortiri, statui consentaneum est brutis animalibus concesso etiam jam creatis et ipso creandi actu, si reputetur quanto uberius quam nos illa instinctibus naturae praedita sint. Hominem velut bruta in eo statu qui status naturae nuncupatur, a rerum satore relictum esse, (quo statu vir foret, qui omnino disciplinae expers adolevisset,) hoc eo recideret ut praecipuis viribus nondum elicitis, immo nunquam eliciendis ab ipsius Creatore desereretur: quod brutis minime accidit. Quodsi ita cum homine actum fuisset, nulla foret in eo similitudo ejus quod animalibus inferioribus evenit; citra aequam autem rationem homini iniquum foret. —

Nulla demum satis valida ratio est, cur barbarorum infimorum conditio »status naturae« appelletur: nisi (ut forsan exquisite dici oporteret) ad solam adhibeatur artium ignorantiam exprimendam. Talium vero conditionem statum naturae eo sensu nominari, quo apud plures scriptores, scilicet qui sit status naturae conveniens: hoc non minus sanae philosophiae repugnat, quam rerum certissimis documentis adversantur somnia eorum quibus ejusmodi status similis videtur »aurei saeculi« illius a poetis decantati.

Vita ea tranquilla, mitis animus, libertas ab

oppressione tuta, mens a nimio sui studio malisque affectibus pura, mores sinceri, qui barbaris tribuuntur, nusquam inveniuntur, nisi in poetarum figmentis et quorundam inutiliter meditantium commentis. In statu naturali esse non diceretur arbor aut herba quae terrà coelove cresceret, flores fructusque gigni prohibente eos, quibus proferendis aptata fuisset fabrica ejus. Quicunque pinum aspexisset in Alpibus, juxta nivis perpetuae limitem, bipedalem fere vix succrescentem, luctantemque ad se inter saxa glaciesque dure sustentandam, nullus illum vocaret statum naturalem arboris ejusmodi, quae solum nacta geniale solemque laetiorem in ejusdem montis *saltibus* paulo inferius in L aut LX ulnarum altitudinem exsurgit. Simili modo et omnino pari ratione hominis status naturalis is haberi debet non qui incrementa et intellectus et morum impedit ac in perpetuum reprimit, sed qui facultates ejus innatas — non dico perficiat — at saltem se exercere permittat et velut plantae flores expandi: qui vero in primis se exercere sinat impetum illum ad perpetuo progrediendum qui generis humani proprius esse perspicitur.

Tali igitur vitae conditione primi homines a Creatore siti sunt.

TURRIS BABEL.

Gen. Cap. XI. v. 1—10.

Magnis incommodis brevis haecce in libro Genesis narratio occupatur.

I^mo. Si consilium respicias eorum qui aedificare aggressi sunt, ne dispergerentur, quomodo id efficiatur ope turris *altissimae*? Sic enim plerique interpretantur illud „ad coelum *usque*“ (scil. elatae) ut postea scriptum est urbes Canaanitarum muris ad coelum usque pertingentibus munitas fuisse. — Et qualis demum disjectio metuenda iis aut evitanda erat, quum singulis permissum videatur ut sedes sibi proprias eligerent?

II^do. Consideretur modus frustrandi propositum eorum. Creditur enim magna hominum multitudo mirabili conversione oblita avitae linguae et novo subito sermone locuta esse. Ingens hoc foret miraculum nec tamen ad finem conceptum perduceret. Nisi enim prodigio attoniti fuisse credantur,

sacrificium laudis — et verbum latinum habemus *orare* (precari) ab *os* formatum.

Hoc concesso tota res transacta sic evenisse potuit. Principes quidam viri instituerant imperium condere quod totum genus humanum complecteretur. Hoc imperium ut religione sanciretur, templum Idolo cuidam dicatum fundari voluerunt in urbe ea, quae orbis terrarum caput fieret. Quum in planitie degentibus aedem istam monti imponere non liceret (qui mos postea invaluit ut testantur quae in S. S. de „locis excelsis“ passim dicta sunt), idcirco turrim altissimam erigere proposuerunt, tanquam montem fabricatum. Consilium tale falsae religionis stabiliendae non potuit non Deo vero ac viventi displicere; ille igitur consilium impium prorsus frustratus est, discordiâ injectâ animis fundatorum nimia affectantium. Dissidere eos de cultu religioso fecit, qua dissensione longe certius conatum eorum irritum redderet quam diversitate linguarum. Hujusmodi dissidiorum historia abundat exemplis, commemoremus Judaeos Samaritanosque, Pharisaeos et Karaitas varias denique Christianorum sectas. Tali ratione ad Babel effectum est, ut factionum validissima urbem turremque retineret omissâ tamen mole turris et altitudine eâ quam primo destinave-

rant; ut reliquae vero factiones diversae abirent, aliasque aliae sedes occuparent.

In re hujusmodi argumentum certum adduci nequit, explicatio tamen jam proposita I^mo. non minus saltem quam vulgaris cum S. S. congruit. II^do. Facile intelligitur nec difficultatibus urgetur. III^do. Historiae profanae consentanea est, quatenus id jure postulari debet.

(Conferantur Herodotus caeterique.)

De Babylone urbe conditâ et templo Beli in eâ fundato, quae ab Herodoto * memorata sunt, in usum lectoris infra dantur exscripta e versione Schweighaeuseri:

„Sunt autem Assyriae quum aliae urbes insignes multae, tum clarissima et munitissima omnium quae post Ninum eversam regia sedes erat, Babylon; sita in amplâ planitie, formam habet quadratam, cujus quodque latus centum et viginti stadia metitur: ita totius urbis circuitus conficitur quadringentorum octoginta stadiorum. Haec amplitudo est urbis Babyloniae. Exornata vero instructaque erat ita, ut nulla alia cujus ad nos notitia pervenit. Statim fossa eam circumdat alta lataque, et

* Lib. 1. 178—183.

aquà nunquam non repleta: dein murus, cujus latitudo quinquaginta cubitorum regiorum est, altitudo ducentorum cubitorum . . . . . Oportet me vero ad haec declarare, quem in usum insumta sit terra è fossà egesta, et murus ille quo pacto fuerit confectus. Ut fossam fodiebant, ita simul terram e fossà egestam formabant in lateres: utque laterum probabilem numerum duxerant, ita eos in fornacibus coquebant. Tum loco calcis asphalto calidô utentes, et tricesimo cuique laterum ordini arundinum alas interstipantes, primum labia construxerunt fossae, deinde ipsum murum eodem modo . . . . . In muro circumcirca centum sunt portae, aeneae omnes; et postes etiam, et superiora limina, itidem ex aere. Est autem aliud oppidum, octo dierum itinere distans a Babylone, cui nomen Is. Ibi fluvius est, non magnus, cui et ipsi Is nomen, qui in Euphratem undam suam infundit. Hic igitur Is fluvius simul cum undà suà complures edit grumos asphalti: unde ad aedificandum murum Babylonis asphaltus devecta est. Tali igitur modo munita Babylon est. Sunt autem duae urbis regiones: mediam enim perfluit et in duas partes dividit flumen, cui nomen Euphrates . . . . . . — In medio autem utriusque regionis, in quas urbs dividitur,

exstructa erat, in alterâ quidem regia aula, vasto circuitu validoque; in alterâ, Jovis Beli templum aeneis portis instructum, quod nunc etiam superest, duo stadia quaquaversum metiens, formâ quadratâ. Hujus in templi (ἱεροῦ) medio, turris solida exstructa est, unum stadium tam in longitudinem quam in latitudinem patens: et super hac turri erecta est alia, iterumque super hac alia ad octo turres numero. Hae turres conscenduntur extrinsecus, viâ circum omnes sursum ducente: in medio vero adscensu diversorium est, et sellae in quibus residentes requiescere possint qui adscendunt. Extremae turri templum (νηος ὁ) superstructum est amplum: quo in templo stratus lectus magnus, juxta eum adposita mensa aurea. *Imago autem aut statua nulla inest,* neque pernoctat ibi quisquam mortalium, praeter unam mulierem ex indigenis, quamcunque ex omnibus selegerit Deus, ut Chaldaei aiunt, qui sunt hujus Dei sacerdotes . . . . . Est autem in Babylonico templo alia etiam aedes inferne: *ubi magnum est simulacrum Jovis sedentis,* cui mensa adposita aurea, ct scabellum et sella ex auro . . . . . Extra templum vero altare est aureum: estque praeterea alia ara ingens, ubi justae aetatis mactantur victimae; nam ad auream

illam aram non nisi lactantes mactare pecudes fas est. In majore ara vero adolent etiam singulis annis Chaldaei mille thuris talenta, quo tempore festos dies huic Deo agunt. Erat autem illa adhuc aetate in eodem templo statua solida ex auro, duodecim cubitorum quam ego quidem non vidi refero, autem quae a Chaldaeis narrantur. Huic statuae insidiatus Darius, Hystaspis filius, non tamen ausus est eam auferre: Xerxes vero abstulit, occiso sacerdote, qui ne statuam loco moveret conatus erat prohibere. Atque ita quidem exornatum illud templum erat, exstant vero in eodem complura etiam privata donaria.“

